

stituendum & adquirendum, considerationi subjecturi simus.

Furnus ein Backoffen/ denotat locum, in quo panis decoquitur. Et ita accipitur in *L. 24. §. 7. ff. de damn. infect. §. 1. 27. §. 10. ff. ad l. Aquil. Paul. Christin. ad consuetudin. Mecklinens. Art. 5. n. 2.* Ejus Etymologia æque trita non est. A furvo furtum derivat Imperator in *§. 2. 7. de Oblig. quæ ex del. nasc. §. 1. pr. ff. de furto.* quem facile, dum certius nihil constat, sequi possumus; quemadmodum enim furtis, sic furnis quoque nigrum convenit; quippe qui furvo sive nigro colore conteguntur *Christ. d. l.* ut hinc ab identitate rationis ad identitatem dispositionis argumentari, non incongruum sit. *L. 32. ff. ad l. Aquil.* Manifestè autem à Furno discrepare *fornax & fornix* videntur; quamvis ratione structuræ convenient; cujus rationem inquirant illi, quibus circa vocabula hæere volupe est. Aliàs etiam Clibanum appellant, qui tamen præterquam, quod sit furnus portatilis, primum ex fictilibus, postmodum ex ferro & ære fieri solitus *V. Camill. Borell. de Magistrat. Edict. L. 4. C. 7. n. 44.* aliis potius rebus, quam panibus coqvendis destinatus est, & Pharmacopolis, Dulciariis, Monialibus inservit. *Camill. Borell. d. n. 44. add. Hering. de Molendin. Qu. 2. n. 78. §. Brodaus lib. 5. Miscell. cap. 21.* Ab hoc Clibanarii olim dicti, quos cathaphractos hodiè vocamus equites, de quibus *Veget. de Re Milit. lib. 3. C. 23. add. Hering. d. l.* ob thoracis fortè figuram, quæ in formam Clibanii convexa est. Sicuti ob eam rationem etiam Testudinibus vox multis rebus communis est.

Fornacem & Caminum, de quo *vid. Hering. Mantiss. Tr. de molendin. Subject. C. 2. per tot.* usus à furno distinguit, utpotè, qui inmediate hominum usui calefaciendo potiss-

8

9

10

11

12

13